



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1692**

Caput XXIII. De Decretalibus Gregorii IX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

quam non habebant. *c. Trans'ato de rescript. l. fin. C. de leg.* imo minoris sunt auctoritatis, quam Decretum & dicta Gratiani, cum nec Glossas habeant, nec allegentur sub nomine Capitulorum, sed palearum. *c. Precariae 10. q. 2.* Neq; earum mentionem faciat Gregorius XII. in Bulla Decreto præfixa; Adeoque etiam Auctores qui Decreto tribuunt auctoritatem legis, eam denegant Paleis, quod Gregorius XIII. eas non comprehenderit nomine Juris Canonici, hoc enim si voluisset, manifestis verbis declarasset, cum sciret, illas in communi usu, & solita DD. interpretatione Juris vigorem non habere. *Thom. Canon. in proem. n. 625.* Quamvis Præpositus *in c. imprimis n. 14. caus. 2. q. 1.* dicat Paleis etiam communiter credi, nisi detur jus in oppositum.

### C A P U T X X I I I .

#### De Decretalibus Gregorii IX.

*Cujus auctoritate, & à quo Decretales collectæ sint. In quot libros dividantur, & quomodo citentur. De materia & ordine librorum.*

**D**Ecretalium Epistolarum aliæ sunt anti-

antiquæ, aliæ Novellæ. Antiquæ, quæ continentur secunda parte Juris Canonici, sunt Constitutiones seu Epistolæ variorum Pontificum in unum volumen collectæ auctoritate Gregorii IX; Fuit is Patria Anagninus ex gente Signia de Comitibus natus, ex qua Illustrissima Familia, quæ vulgo de Conti dicitur, decem Pontifices Summi numerantur. *Azor. p. 2. Inst. l. 3. c. 45. q. 5.* Ex his unus fuit Gregorius ex Consobrina Innocentii III. Nepos, & ab eo ad Cardinalatum promotus A. 1227. altero die ab obitu Honorii Pontifex salutatus est, & post septimum, juxta Valente, Pontificatus annum (alii tradunt A. 1230.) constitutiones Pontificias in unum volumen quinque libris distinctum redigere cœpit per Fratrem Raymundum à Pennafort Barcinonensem Ordinis Prædicatorum, primum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Generalem à Gregorio IX. creatum, ejusdemque Pontificis Cappellanum & Pœnitentiarium, ac subinde etiam tertium Ordinis Prædicatorum Magistrum Generalem, quem Clemens Papa VIII. A. 1601. in numerum Sanctorum retulit. Hic Constitutiones illas ex quinque aliis antiquioribus collectionibus concinnavit, ideoque propter

propter Doctores illius temporis, & ob glossas antiquas plerumque principia, seu prima verba singulorum capitum ex antiquis collectionibus retinet, & cum sensum non perficiant, additur & *infra*. Absolvit hoc opus feliciter Raymundus trium annorum spatio A. 1237. *Genebr. in Chronol.* Dicuntur *Decretales*, non *Decretum* quia majori parte sunt Constitutiones & literæ Summorum Pontificum; Decretum vero continet potissimum Conciliorum Decreta.

2. Dividuntur Decretales in quinque libros, hi in titulos, & tituli in capita. In citatione ponitur vel numerus vel initium Capituli & titulus hoc modo: *c. 2.* vel *c. Osius de Elect.* id est, in capite cujus initium *Osius*, sub titulo de Electione, qui titulus quotus in ordine sit requirendum in indice titulorum; A quibusdam DD. in citando additur particula *extra* ad significandum, quod hi libri sint extra Decretum Gratiani, quod prius est editum hoc modo: *c. Nullus extra* (quod brevitatis causa hoc signo X notatur) *de Elect.* non ergo per hanc particulam *extra* seu X significantur Extravagantes. Sicut etur initium Tituli, idque idem sit in pluribus Capitulis ejusdem Tituli

Tituli ad distinctionem ab auctoribus maxime Italis additur: il primo, secondo, il terzo, hoc modo: *Ex parte il primo de privil.* idque in Decreto quoque aliisque libris est observandum.

Materia in hoc opere sunt ipsæ Constitutiones & Decretales Epistolæ sub singulis titulis collocatæ. *Gloss. Proæm.* Quam materiam Gregorius IX. in quinque partibus seu libris ad normam ordinemque Pandectarum ac Codicis secundum rationem Judiciorum digessit. Post epistolam, quam operi præfixit, in primo libro substrato fundamento Catholicæ fidei, nimirum Titulo de Summa Trinitate & fide Catholica, exponit Juris Canonici principia, ut sunt Constitutiones, Rescripta & Consuetudines. Deinde agit de Ordinibus, gradibus, jurisdictionibus & officiis Magistratum Ecclesiasticorum. Demum subjungit quædam circa personas & res litigantium in principio judiciorum versantia. In secundo libro tractat de Judiciis eorumque ordine ac processu. In tertio agit de vita Clericorum eorumque juribus tum propriis, ut sunt Beneficia Ecclesiastica, tum communibus cum Laicis ut sunt Contractus, testamenta &c. In IV. libro tractat de Sponsalibus, matrimoniis & im

& impedimentis eorum. In V. agit de Criminibus eorumque accusatione & pœnis. His demum subjungit ad exemplum Pandectarum duos titulos: De Verborum significatione & de Regulis Juris.

Quam verò auctoritatem habeat hic liber seu compilatio harum Decretalium, declarat satis ipse Gregorius IX. in Epistola operi præfixa, cum ait: *Volentes igitur ut hac tantum compilatione universi utantur in judiciis & in Scholis, districtius prohibemus, ne quis præsumat aliam facere absque auctoritate Sedis Apostolicæ speciali.* Hic præcipit Summus Pontifex universis per orbem Christianum fidelibus, ut has Decretales tanquam normam & regulam non tantum doctrinæ in Scholis tradendæ, sed etiam rerum in judiciis agendarum sequantur. Cum ergo Pontifex non solum possit, ut probatum est supra c. 14. n. 3. & 4. sed etiam hic expresse velit omnes obligare subditos per has Decretales, dubium non est quin hæc jus faciant universale.